Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Si ergo manseritis in uerbo meo uere discipuli mei eritis. ut contemplemini
ipsam ueritatem sicuti est. non per uerba sonantia sed per lucem splendentem. cum
saciauerit nos quod legitur in psalmo. signatum est super nos lumen uultus
tui domine. Moneta dei sumus. nummus a thesauro aberrauimus. er
rore detritum est quod in nobis fuerat in pressum. uenit qui reformet quia
ipse formauerat. querit et ipse nummum suum. sicut cesar nummum suum.
Ideo ait. reddite cesari que cesaris sunt et deo que dei sunt. cesari nummum. deo
uos ipsos. Tunc ergo exprimitur ueritas in nobis. Quid dicam caritati uestre.
O si cor esset qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam. o si peregri
nationem nostram in gemitu sentiremus. et secundum non amaremus. et ad
eum qui nos uocauit pia mente perpetuo pulsaremus. Desiderium sinus
cordis est. capiemus si desiderium quantum possumus extendamus. hoc no
biscum ait scriptura diuina. hoc congregatio populorum. hoc celebra
cio sacramentorum. hoc baptismus sanctus. hoc cantica laudis dei. hoc ip
sa nostra disputacio. ut hoc desiderium non solum seminetur et germi
net. uerum etiam in modum tante capacitatis augeatur. ut idoneum
sit sumere quod oculus non uidit. nec auris audiuit. nec in cor
hominis ascendit. Sed amate mecum. Non amat multum nummum.
qui amat deum. Et ego palpaui infirmitatem. non ausus sum dicere. non a
mat nummum sed non multum amat nummum. quasi amandus sit nummus.
sed non multum. O si deum digne amemus. nummos omnino non amabimus.
Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis. non irritamentum cupidita
tis. quo utaris ad necessitatem non quo fruaris ad delectationem.
Deum ama. si aliquid in te egit quod audis et laudas. utere mundo
non te capiat mundus. Quod intrasti iter agis. exiturus uenisti non
remansurus. Iter agis. stabulum est hec uita. Utere nummo. quomodo ui
ator in stabulo utitur mensa. calice. urceo. lectulo. dimissurus
non permansurus. Si tales fueritis. ad eius promissa uenietis. Non
enim multum est ad uos. quia magna est manus eius qui uos uocauit.
Vocauit inuocetur. dicatur illi. Uocasti nos. inuocamus te. Ecce
audiuimus uocantem. audi inuocantes. Perduc quo promisisti.
perfice quod inchoasti. Noli deserere munera tua. noli de
serere agrum tuum. germina tua intrent in horreum. Abun
dant temptationes. sed non deficit qui in illo spem ponit. in quo defec
tus nullus est. Ad hoc hortatus sum ista fratres. quia libertas

in mundo. sed minor est qui fecit mundum. Habundant temptationes.